Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1215
Quelle:
Copyright:

rum duxerit perturbanda, que per potentiam tuam ab aliorum debent molestatione defendi, nequaquam ulterius poterimus equanimiter sustinere, quin pro honore illius quam suscepimus diuina cooperante gratia gubernandam nos, ut ad nostrum spectat officium, opponamus. Datum Verone XIIII. Kal. Julii.

Codicem nostrum olim ad antiquissimum Bavariae Coenobium *Weltenburgense* pertinuisse repetita saepius ἐπιγραφῇ: *Liber S. Georii Weltenburch*, docet, cujus Abbatem *Michaelem* 1418. multos Codices abalienasse invenio, quo fortasse spectat illud fronti *pag.* 1. adscriptum: *Accepi dono ab abbate.*

CCCVIII.

342 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 150. f. probe scriptus, rubricisque pernotatus complectitur *Ruperti* Abb. *Tuitiensis* Sec. ejusd. Scriptoris, O. S. B. an. 1135. defuncti *Libros XIII. de Victoria Verbi Dei*, de quibus jam ad *Cod.* praeced. dictum est. Praecedit hic Librorum Capitumque recensus, qui tamen satis exactus non est. *Fol.* 12. p. 2. minio: *Incipit prologus Ruberti de uictoria uerbi dei. Fol.* vero 14. *Incipit liber. Domini abatis. Ruodberti tuiciensis de victoria verbi Dei.* Initia dedimus *Cod. supracit.* Lectio collata cum edit. *Veneta* 1749. T. III. *Opp. Ruperti* genuina est, sed ab iis L. XII. c. 24. verbis: *quamuis apostolus grecis scribens et pro ne* — — — mutilum est Exemplum.

CCCIX.

Codex membraneus lat. Sec. 116
XII. Folior. 121. f. probe scriptus et rubricis distinctus complectitur I. *Ruperti Abbatis Tuitiensis Libros IX. de Glorificatione Trinitatis et Processione Spiritus sancti*, qui in edit. *Veneta* 1749. prostant T. III. p. 3. Titulus miniatus est: *Prologus Abbatis Ruberti ad Honorium Papam. Ante faciem tuam o princeps beatissime* &c. Nescit *Veneta* nomen Pontificis, e quo, cum *Honorius* ab a. 1124. ad 1130. sedem tenuerit, simul tempus eruitur, quo *Rupertus* egregium hoc Opus elaboravit. Hunc inter et sequentem *Prologum* intercedit *Capitum Index*, qui deinceps cuivis Libro praefixus est. Incipit vero alter Prologus: *Quid faciam o Philochristi omnes auditores beniuoli* &c. dirigiturque post medium ad *Cunonem* ex Abbate *Sigibergensi* jam *Ratisponae* Praesulem ✠. ut supra dixi, 1130. Opus ipsum, si integritatem spectes, cum editis consonat; non deest tamen lectionis varietas. Clausula miniata totius est: *Explicit liber nonus de glorificatione trinitatis. et processione spiritus sancti. domni Ruperti tuiciensis abbatis.*

II. et quidem a *fol.* 99. *Incipit liber eiusdem. de meditatione mortis. Quid nunc agis o anima? Saltem*